

## Primum physicorum.

materia est sua potentia passiva. Et per hanc distinctionem possunt solui argumenta. unde S. T. dicit hic qd posse sanari et posse infirmari sunt subiecto vna potentia licet differant secundum rationem. S. T. opus. xlvij. dicit oēs formas substantiales vnius esse generis et ideo est vna potentia licet differunt specie actus sicut potentia visiva est vna potest tamen dici qd plures sunt potentie proxime sed vna est remota potentia enim proxima dicit dispositionem et quidam dicunt hoc sentire auerro in locinas. vij. metha. q. vi. Et nego qd potentia sit adequate de predicamento ad aliquid immo in quolibet predicamento reperitur potentia et actus.

Ad sextum dicitur primo qd aliquid est obiectum alicuius potentie et tamen non oportet qd quicquid continetur sub eo perfecte cognoscatur quoniam illud non est perfecte cognoscibile. unde quilibet color sufficit mouere visum et ideo quilibet est a visu perceptibilis sed non quodlibet ens sufficit mouere intellectum. Ad aliud dicit qd materia est pura potentia sic qd de se nullum habet esse existentie licet sit quedam partialis essentia incompleta. Nec oportet omnem distinctum ab alio habere in se actum existentie. Non dico tamen qd materia sit purum nichil sed est ens in potentia et est subiectum generationis: et ideo aliquomodo potest dici ens naturale et non mathematicum nec physicum sed de his alias ubi declarabitur vtrum materia possit esse sine forma. Est etiam materia ens naturale pro quanto per se pertinet ad considerationem rei naturalis tamen non est ens naturale completum. Dubitant quidam quomodo priuatio potest esse eodem numero cum materia et tamen differat ratione siue specie. Quocirca enim differunt specie differunt numero. Item priuatio non est in specie nisi forte reductiue et tunc est in specie in qua reponitur totum compositum vel habitus sibi oppositus scilicet forma sed materia est reductiue in eadem specie ergo materia et priuatio sunt in eadem specie reductiue. Item priuatio non est accidens ergo est substantia et non nisi materia igitur. Item in priuatione non sunt nisi duo scilicet negatio forme et aptitudo et quod primum sit materia quia hec est vera materia est non forma.

Ad primum dicit negando illam maximam de his que sunt idem numero subiecto. Ad aliud dicit qd priuatio improprie differt specie sed distinguitur ratione sicut cecitas. Secunda tamen operatione intellectus adhuc materia non est priuatio sed priuata. Ad aliud negat omnia. Ad aliud dicit qd materia non est non forma formaliter sed materialiter.

Ad argumentum capitale Cum inquiritur ex quo materia appetit formam propter suam perfectionem quod per perfectiorem formam perfectius habet esse videtur qd non debeat appetere formam imperfectiorem. Item quoniam aduenit sibi alia forma tunc perdit primum esse existentie ergo corrumpitur per accidens. Sic dicitur qd vna forma non dat materie omnia esse substantia. Et ideo quando est sub vna adhuc appetit aliam quod sub vna non potest semper manere oēs enim res habens materiam admixtam priuationi corruptibilis est. Et ad hoc sequitur per accidens materiam esse corruptibilem vt dictum est.



Ad quartum sic procedit videtur qd forma substantialis ante generationem rei sit in materia secundum esse formale formabile quia forma rei substantialis non fit ex nihilo quod alias crearetur ergo aliquid eius prefuit sed ipsa est indiuisibilis ergo prefuit in materia secundum totam suam essentiam Sed contra Tunc nihil generaret de nouo quod materia et forma rei naturalis prefuissent.

Respondeo dicendum qd aliquid est in alio multipliciter scilicet virtualiter et sic dicimus caliditatem esse in vino frigido. Alio modo formaliter et sic albedo est in albo. Et istud esse formale aliquando dicitur formabile pro quanto istud esse formale potest perfici et compleri.

Notandum preterea qd quidam putant albertum magnum posuisse formam prefuisse secundum esse formale formabile ante rei generationem quod ipse ca. xv. trac. iij. dicit qd forma que educitur de potentia secundum suam essentiam est in materia potentia habituali sed confusa et indeterminata. Et in eodem ca. dicit secundum peripatheticorum perfectam sententiam qd forma est in materia per essentiam confusam et ipsa est eadem numero extra per virtutem formatiuam immixtam in materiam quam tangit agens aut mediate aut immediate. Quibusdam non placet albertum fuisse huiusmodi sententiam unde per essentiam confusam forme non intelligit nisi ipsam aptitudinem materie ad formam quequidem aptitudo non est entitas realiter distincta a materia.

Notandum preterea vt habet. S. T. prima q. Quidam posuerunt formas non incipere per actionem nature sed tantum latitare vt anaxagoras quod enim forme preexistunt in materia in potentia posuerunt eas simpliciter preexistere. Alij vero posuerunt formas creari ab agente separato Sed dicendum qd forme non proprie sunt partim tamen sunt ad intra et partim extra Compositum vero substantiale proprie est generabile et corruptibile. Primum patet quod non per se subsistunt nihil autem potest terminare actum productionis nisi subsistat. Non est tamen intelligendum qd forma habeat diuersas partes et qd secundum vnam sit in materia et secundum aliam extra materiam sed dicitur tota esse ab intra et tota ab extra secundum diuersa esse ipsius forme quod secundum esse potentiale confusum et indeterminatum est ab intra sed secundum esse distinctum et determinatum ad certum speciem est tota ab efficiente extrinseco.

Notandum preterea secundum philosophum hic qd quidam antiquorum dixerunt qd nihil generatur nec corrumpitur. unde quidam negauerunt omnem formam substantialem. unde hoc erat argumentum eorum quod si ens fit aut fit ex ente aut ex non ente. Non primum quod id quod est non fit nihil enim est antequam fiat sed ens in se ergo non fit. Nec secundum quod oportet aliquid subici et quod fit ergo ex non ente nihil fit. Sic respondet philosophus 7. S. T. lec. xiiij. qd cum dicitur aliquid facere aut pati hoc potest intelligi dupliciter scilicet per se et per accidens. Exemplum medicus edificat. Et si queratur quis est sensus huiusmodi medicus sanat per se. Dicendum qd sensus est medicus in quantum medicus sanat. Et ita dicatur aliquid fit ex non ente per se. in quantum est non ens. Dicendum est ergo qd ex non ente nichil fit simpliciter et per se sed solum secundum accidens quia res naturalis non est ex priuatione quia priuatio non intrat essentiam rei facte. Sic etiam figuratum non fit ex infigurato per se sed per accidens. Similiter dicendum est qd ex ente fit aliquid per accidens et non per se vt quando ex equo generatur canis tunc ex animali fit animal non per se sed per accidens. Non enim fit in quantum est animal sed in quantum est hoc animal primum patet quod iam animal erat actu antequam fiat canis. Et ideo dicit. S. T. qd per se iste canis fit ex hoc non animali. id est ex non cane. Et similiter si animal fieret per se oporteret qd fieret ex non animali. Non autem fieret simpliciter ex non ente sed ex non ente tali sed accidit ei quod non est tale qd fit ens. unde non fit aliquid per se ex ente nec per se ex non ente quia nichil fit ex ente in quantum huiusmodi